



IN DEI NOMINE. AMEN.

QUOD ubique terrarum priscis societatum legibus institutum est, ut quotquot graves atque diuturnos labores pro Reipublicæ dignitate tuenda et conservanda perpessi sunt, suæ in patriam charitatis præmia recipiant, id ipsum Academia Matritensis saluberrimis præceptis ac legibus instituta constanter servavit, illis dumtaxat ad Lauream Doctoris in quacumque scientia consequendam Licentiam concedens, qui studiorum suorum curriculo feliciter absoluto egregium suæ doctrinæ et eruditionis specimen exhibuerint, ac pro Academia ipsius antiqua dignitate vel amplificanda, vel saltem retinenda, in litterario pulvere plurimum insudaverint. Certiorem quippe viam nullam aliam agnovit, ut juvenes ad quævis Reipublicæ munera, ut par est, aliquandò gerenda rectè ac feliciter informentur, quàm si eorum animi ad veram doctrinæ laudem adipiscendam propositis præmiis et Academicis honoribus alliciantur. Quapropter cum de optimis litteris ac scientiis optimè meritus *D. Nulus Yusep et Arcarretabal* natus in *Urga la mayor* — Diocesis *Catalunya* — in *jure civili* — Baccalaureus, in eadem facultate sedulam operam navaverit, suæque doctrinæ et eruditionis luculentissimum testimonium exhibuerit *D. D. Joachimo Gomez à Cortinas* hujus Academiae Rectori, necnon in prædicta scientia Doctoribus *D. D. Armas, Dominguez, Ocharan, Moreno, Hurtado, Lumbraç*

Vallemoro, Madouer, Orera, Saudo, Novan, Sabau, Leal, Aguiar, Cardillo, Montalban, Lambroux, Valle Mustra receptis attentèque inspectis Doctorum omnium quotquot interfuerunt suffragiis ab eis *Nemine discrepante* — fuit approbatus. Habitus ergo dignus qui ad Doctoris Lauream in *jure civili* — recipiendam aspirare valeat, ad eam consequendam à dignissimo Rectore Licentiatûs gradum poposcit, jurejurando spondens, se publicè ac privatim semper asserturum et defensurum Beatam Virginem Mariam absque labe originalis peccati conceptam fuisse, ejusdemque juramenti religione promittens, sese regia jura sarta tectaque semper servaturum, et docturum, ac similiter semper defensurum, nemini civium licere Regicidium, nec tyrannicidium, prout in sessione XV. Concilii Constantiensis definitum est; et postremò juravit Constitutionem politicam Monarchiæ anno MDCCCXXXVII. sancitam. Quibus de lege et more peractis prædictus Rector Licentiatûs gradum eidem Bacc. concessit, ut cum ei libuerit, ad Doctoris Lauream capessendam aspiret.

Quæ omnia in tabulario hujus Academiae meæ curæ commisso habentur, et in illorum fidem prædicto Licentiatò hasce litteras dedi, eis que signo, quo in aliis utor, notatis subscripsi. Matriti die *septima* — mensis *Julii* — anni millesimi octingentesimi quadragesimi *secundi*.

D. Eusebius Maria à Valle
Rector

In testimonium
Victoriano à
Alcázar
Secretis

